

Franckesche Stiftungen zu Halle

Programma Iesv Christo Sacrum Qvi Dives Existens Pavper Factvs Est, &c. 2 Cor. VIII, 9. Anonymi Cvivsdam Commento Simvl Oppositvm Ipso Die Natali ...

Salthenius, Daniel

Regiomonti, [1740?]

VD18 13312111

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:hbz:ha33-1-193191



52 K 6

PROGRAMMA
IESV CHRISTO
SACRVM

QVI DIVES EXISTENS
PAVPER FACTVS EST, &c.

2 COR. VIII, 9.

ANONYMI CUIVS DAM COMMENTO
SIMVL OPPOSITVM
IPSO DIE NATALI SERVATORIS

A
PRO-RECTORE & SENATV
ACADEMIÆ REGIOMONTANÆ,

ANNO



MDCXCL.

REGIOMONTI, TYPIS REVSNERIANIS.

231
257

Redeunt dies, æque vestro, CIVES, atque nostro Domino O. M. Iesu Christo antiqua sanctaque religione consecrati, quibus vacui ab aliis laboribus totum animum atque omnem curam, quotquot Christi disciplinam profitentur, in eius memoria pie sancteque celebranda ponere debent. Quamobrem quoniam nostro convenit officio, voce & exemplo pietatis vobis præire: in memoriam redigimus vobisque meditanda in perpetuum & ad omnem vitæ usum proponimus præclara D. PAVLI verba in altera ad Corinthios epistola cap. VIII. commate 9.

Γινώσκετε γὰρ τὴν χάριν τῆς κυρίας ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὅτι δι' ὑμῶν ἐπ' ὀχέουσε πλῆσι ὧν ἵνα ὑμεῖς τῇ ἐκείνης πτωχείᾳ πλησθῆσθε. (a)

Cognoscitis, inquit, gratiam Domini nostri Iesu Christi, quod dives existens propter vos pauper fuerit: ut vos ipsius paupertate ditaremini.

Quam abhinc annos prope VIII. Paulo & Barnabæ curam ceteri commiserant Apostoli, cum dextras societatis illis dedissent: ut pauperum in Iudæa fratrum memores essent Gal. II, 9. 10. in illam omni studio incumbens Apostolus, Corinthiis, urbem Græciæ amplissimam & opulentissimam incolentibus, iam in prioribus litteris c. XVI, 1. sqq. præcepit, qua ratione stipem in sanctos conferendam colligerent. Postea in Macedoniam veniens, cum horum cætuum singularem in sua ipsorum gravissima paupertate sanctis etiam supra vires inserviendi alacritatem videret: in altera hac epistola multis & gravibus argumentis Corinthiorum studia excitavit; ut pro ea, in qua vivebant, rerum abundantia, in hoc etiam beneficio excellerent.

Gravissimum vero ab exemplo ipsius Iesu Christi Domini sumit argumentum; idque sic proponit, ut tria potissimum consideranda esse ostendat: primum scilicet personæ maiestatem; deinde abdicationem maiestatis sua sponte factam; postremo finem, quo referri hæc omnia oportet.

Maiestas personæ, cuius ad imitandum proponit exemplar, ex ipsis eius nominibus elucet: est enim IESVS, *Servator*, confer. Matth. I, 21. quem ipsa ecclestium exercituum multitudo vix dum natum sanctissimo hocce splendissimoque τῷ ΣΩΤΗΡΟΣ nomine laudans adoravit, Luc. II, 11, 13. coll. Heb. 1, 6. & Phil. II, 9. 10. Est CHRISTVS toties in V. T. promissus, ideoque

(a) Variæ huius loci lectiones, quas collegerunt Viri doctissimi, IO. MILIVS & IO. ALB. BENGELIVS, tanti non sunt, ut in illis examinandis hæreere nobis necesse sit: cum lectionem receptam tueantur omnes fere codices MSS. & Patres græci, paucis tantum exceptis, qui pronomen ὑμῶν, & ὑμῶν - - πλησθῆσθε, in ἡμῶν & ἡμῶν - - πλησθῶμεν mutatum exhibent.

que verus *DEUS* IEHOVA, & verus homo ex semine Davidis, Ier. XXIII, 5. 6. c. XXXIII, 15. 16. Psal. CX, 1. *filius DEI benedicti, & filius hominis* Marc. XIV, 61. 62. Ioh. V, 17. 18. sqq. *ex patribus* quidem quod ad *car-*
nem attinet: *ast qui simul est super omnia DEVS benedictus in secula*, teste
 eodem iterum Paulo Rom. IX, 5. Est *DOMINVS noster*, imo *omnium*,
 nomine atque re ipsa, iure, auctoritate & imperio summo; tanta & tam ex-
 cellenti præstantia, ut cum alioquin *multi sint, qui Domini dicantur*, hic *uni-*
cus sit Dominus Iesus Christus, per quem omnia 1 Cor. VIII, 5. 6. Eph. IV, 5,
 ideoque a ceteris Dominis cunctis colendus Ephes. VI, 9. Col. IV, 1. quippe
 qui *Dominorum Dominus & Rex Regum* est Apoc. XVII, 14. c. XIX, 6. *Do-*
minus omnia sciens Ioh. XXI, 17. *Dominus vindex* 1 Thess. IV, 6. & *iustus*
iudex 2 Tim. IV, 8. *Dominus glorie* 1 Cor. II, 8. *Dominus ex caelo*, c. XV,
 47. immo *ΜΟΝΟΣ ΔΕΣΠΟΤΗΣ ΘΕΟΣ & ΚΥΡΙΟΣ ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστός* Iudæ v. 4.
 coll. 2 Petr. II, 1. Est denique *ὁ ΠΛΟΥΣΙΟΣ ΩΝ*, *divens existens*,
 non solum qua *DEUS & proprius DEI filius, aequalis Patri* Ioh. V, 18. sqq.
 hac enim ratione sua propria esse universa in cælo & in terra quis negare au-
 debit? cum ista omnia per ipsum creata sint, tum visibilia, tum invisibi-
 lia, &c. Col. I, 16. Ioh. I, 3. Verum etiam qua *homo*; de humana enim
 Christi natura hic loqui Apostolum, ex huius propositionis prædicato elucet:
Iesus Christus dives existens, pauper factus est. Quamvis enim subiectum pro-
 positionis, *Iesus Christus*, sit concretum personæ: tamen prædicatum, *pa-*
uper factus est, Divinæ naturæ immutabili repugnat, & ad humanam naturam
 formaliter pertinet; proinde etiam huic naturæ tribuendum est illud *πλούσιος*
ῶν, non quidem per se, sed in unione personali consideratæ.

Quales vero divitias hic intelligi velit Apostolus, ipse alibi indicavit:
 videlicet non solum plenam in res creatas potestatem & dominium, vid. Luc.
 V, 4. sqq. Matth. VIII, 26. sqq. c. XVII, 27. Luc. XXII, 35. ipsosque ho-
 stes suos Ioh. XVIII, 6. immo in legem Divinam Math. XII, 8. in vitam
 atque mortem Ioh. X, 18. c. V, 21. c. XI, 23. sqq. Act. III, 15. verum
 etiam *omnes thesauros sapientiæ & cognitionis* Col. II, 3. ipsamque *μορφὴν*
τῆς Θεῆς Phil. II, 6. immo *universam Deitatis plenitudinem*, quippe quæ in
 Christo habitat *σωματικῶς*, *corporaliter* Col. II, 9. quod adverbium si expla-
 nationis gratia in suum nomen convertitur, tum verba illa, *ἐν ἀνθρώπῳ καθοικεῖ*
 - - *σωματικῶς*, idem profecto valebunt cum his, *ἐν σάρτι ἀνθρώπου καθοικεῖ*,
in corpore i. e. *carne* sive *humana eius natura habitat* &c. & hanc explicatio-
 nem partim rei ipsi, partim græcæ linguæ recte convenire, testes sunt Patres
 græci bene multi (b).

A 2

Divinas

(b) ATHANASIVS Opp. To. I. p. 601, *Ἐν Χριστῷ καθοικεῖ, τρέψεν ἐν τῇ*
σαρκί

Divinas hæc divitias Christus non in statu exaltationis saltem habuit; neque paupertate & obedientia sua sibi demum acquisivit: sed iam ante exinanitionem, & in ipso humillimæ exinanitionis statu possidebat. Non enim dixit Apostolus: Pauper existens factus est dives; sed versa vice: *Dives existens factus est pauper*; eodem sane modo, quo Phil. II, 6. 7. ὃς ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων, - - ἑαυτὸν ἐκένωσε μορφῇ δούλου λαβών. Itaque iam tum erat dives, cum pauper fieret: (c) iam in forma DEI subsistens, cum semetipsum vacuum faceret formam servi sumendo. Idem Scriptura variis confirmat dictis; & ipse, quo nemo hæc melius scire ac docere potuit, Christus Matth. XI, 27. non de Divina sua natura, quippe cui nihil tradi poterat, cum omnia ab æterno & necessario haberet, essetque immutabilis; sed de humana natura,

&

σαρκὶ αὐτῷ, πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς Θεότητος σαματικῶς. PAVLVS Emesenus Episc in Actis concilii Ephesini p. 277. Σωματικῶς, τῆσιν, ὡς ἐν ἰδίῳ σώματι. Eadem habet Theodoretus in h. l. CYRILLVS exposuit: ὡς ἂν ἐν σώματι ἐνοικησῆ ψυχῇ, memorante THEOPHYLACTO in h. l. Et IOANNES Damascenus de Orthod. fide L. III. c. VI. Σωματικῶς, τῆσιν ἐν τῇ σαρκὶ αὐτῷ. Recentiores autem Græci Doctores hanc interpretationem cum altera, qua σαματικῶς per ἁσιωδῶς exponitur, coniunxerant: sic OECVMENIVS in h. l. Σωματικῶς, τῆσιν, ἁσιωδῶς, & ἁσιωδῶς, ἢ ἁσιωδῶς, ἢ ὡς ἂν οἰκῆσῆ ἐν σώματι ψυχῇ, ἕτως ἐνώκησε τῷ προσληφθέντι ἀνθρώπῳ. Sic etiam THEOPHYLACTVS l. c. Ex Latinis, *Auctor Commentariorum* in Epistolas Pauli, qui in HIERONYMI Opp. To IX. editi sunt: *Omnis, inquit, plenitudo Divinae nature in corpore eius inhabitat.* At AVGVSTINVS Epist. LVII. qua Dardano respondet de præsentia DEI & Christi, c. XIX. Opp. To II. p. 284. hanc vocem dupliciter explicavit: aut enim *corporaliter* idem esse ac *non umbraliter*, sed *vere: aut certe corporaliter*, inquit, *dictum est, quia in Christi corpore, quod assumpsit ex virgine, tanquam in templo habitat DEUS.* Eumque deinde ceteri fere omnes secuti sunt, ita quidem, ut HERVEVS hæc Augustini cuncta totidem verbis in suos retulerit Commentarios in Epistolas Pauli, qui sub ANSELMI Cantuariensis nomine, & inter eius opera prodire: PRIMASIVS vero, & HVGO de S. Caro, aliique eadem modo summatim proposuerint.

(c) PELAGIVS in Commentario in Epistolas Pauli, qui inter HIERONYMI opera habetur, vel forte eius Interpolator, idem iam dudum ad hæc verba observavit; sic enim ille in h. l. *Simul & contra Photinum facit, quod prius, quam pauper fieret Christus, dives erat.*

& ea quidem non iam exaltata, sed in statu exinanitionis adhuc constituta: *OMNIA*, inquit, *mibi TRADITA SVNT a Patre meo*; quæ si sua paupertate & obsequio acquisita in exaltatione demum accepisset, certe non integro fere ante hanc biennio dixisset: omnia mihi iam *TRADITA SVNT*; sed potius: omnia mihi posthac *TRADENTVR* a Patre meo.

Maiestate ac divitiis Christi expositis, perguit Apostolus ad eius abdicationem, quam proponit verbo ΕΠΤΩΧΕΥΣΕ. Πτωχ[Ⓞ] ab ARISTOPHANE, & quidem in oppositione ad πένητα *egenum*, is dicitur, qui vivit nihil habens (d). Et πτωχεία a SVIDA sic definitur, ut sic πανήλης τῆς κήσεως ἐκπώσις, plena bonorum amissio & penuria. Ideoque verbum πτωχεύειν proprie significat bonis omnibus exinaniri & vitam degere in egestate, sive quod idem est, pauperem fieri & pauperem esse (e). Idem confirmant

A 3

Græci

- (d) ARISTOPHANES in Plato Act. II. Scen. V. ψ. 72. Πτωχ[Ⓞ] μὲν γὰρ βί[Ⓞ], ὃν σὺ λέγεις, ζῆν ἐστὶ μηδὲν ἔχοντα. Inde vero non sequitur, πτωχον proprie ac semper significare *mendicum*, & πτωχεύειν *mendicare*; quod præter alios Pontificiorum nonnulli, & ipse BELLARMINVS Controvers. To. II. de Monachis L. II. c. XLV. p. 496 sqq. contendit; quoniam *mendicatio* proprie non species vel modus paupertatis est, quippe quæ in penuria rerum consistit: sed potius actio quædam ad egestatem sustentandam accommodata. Adhæc vetustissimus græcorum lexicographus IVLIVS POLLVX L. VI. c. 48. testis est, eorum nonnullos inter πένητα & πτωχόν adeo nullum fecisse discrimen, ut πένητα τὸν πτωχόν, & πτωχείαν τὴν πενίαν nominaverint: cum ipse vicissim verbum πτωχεύειν ab ἀγέθειν & προσαιτέειν, quæ proprie *stipem rogare*, *colligere*, *mendicare*, significant, l. c. seiunxerit. In eadem non mendicationis, sed tenuitatis significatione etiam LXX. Interpretes usos esse vocibus πτωχ[Ⓞ] & πτωχεία observamus 1 Par. XXII, 14. ubi David. Ecce ego, inquit, κατὰ τὴν πτωχείαν μου, *pro tenuitate mea* (Hebr. in afflictione mea) *paravi ad templum Iehova centum millia talentorum*, &c. quis vero diceret πτωχείαν h. l. significare Davidis mendicitatem? Et 2 Reg. XXIV, 14 nec non c. XXV, 12. in Iudæa nihil a Chaldæis relictum legitur, nisi οἱ πτωχοὶ τῆς γῆς, Hebr. [Ⓞ] [Ⓞ] [Ⓞ] tenuis plebs terræ; quæ vero non ad mendicandum relicta est, neque enim erat, qui stipem rogantibus dare poterat; sed ut agros & vineas colerent.
- (e) Patet hoc etiam ex verbis pari modo formatis, e. g. δαλ[Ⓞ] servum significat, δαλεία servitutem, δαλεύειν vitam in servitute degere, seu servire. Sic στρατ[Ⓞ], στρατεία, στρατεύειν, μάγ[Ⓞ], μαγεία, μαγεύειν, κύρι[Ⓞ], κυριεύειν, &c.

Græci Scripturæ V. T. interpretes (f) & ipsa vetus versio Latina, quam *Vulgatam* vocant, in h. l. (g)

Christus igitur dives existens ἐπλώχευσε, i. e. divitiis suis supra commemoratis exinanitus vitam in paupertate egit. Quia vero idem universorum summo cum imperio & potestate Dominus erat: idcirco patet, neminem tantam habuisse potestatem, ut hisce illum divitiis privaret, nisi iisdem semetipsum *sua sponte* exuisset; id quod nos docuit ipse Ioh. X, 18. Christus igitur *exinanivit seipsum* Phil. II, 7. Et quia divitiæ illæ utrique eius naturæ tribuendæ sunt, Divinæ quidem per se & formaliter, humanæ vero communicative, utpote cum Divina personaliter unitæ; Divina autem naturæ immutabiliter dives est: idcirco hæc exinanitio *humanae* quidem *naturæ* per se & formaliter vindicanda est, quippe cui non repugnabat, divitias accipere

(f) οἱ LXX. Iudic. VI, 6. ἐπλώχευσεν Ἰσραὴλ σφόδρα ἀπὸ προσώπῃ Μαδιάμ· quod certe non significabit, Israël mendicasse vel stipem mendicabunda prece rogasse: sed *opibus exinanitum, exhaustum, attritum* fuisse; Hebr. לררן Sic cap. XIV, 15. Ἡ πλώχευσαι ἐκαλέσαίς ἡμᾶς; *Num depauperandos nos vocavistis?* Psalm. XXXIII, 11. Πλάσιοι ἐπλώχευσαν ἢ ἐπένασαν, *divites egestate laborant & esuriunt.* Itemque Pf. LXXVIII, 8. Proverb. XXIII, 21. Sæpius vero apud eos non legitur: SYMMACHVS tamen etiam Prov. XIII, 7. vocem hebr. שושרתו *pauperem se faciens*, vertit in græcam πλώχευόμενοι, pro qua THEODOTION habet πλώχοφανής· οἱ LXX. vero ταπεινῶνται ἐαυτῆς, observante BERNARDO DE MONTFAVCON in Hexaplis Origenis To. II. p. 23.

(g) Hæc enim verbum ἐπλώχευσε non tantum h. l. recte interpretatur, *egenus factus est*: sed etiam verba Tobix cap. IV, ὦ. ult. ad filium suum, Μὴ φοβῆ, παιδίον, ὅτι ἐπλώχευσάμεν, in latinum sermonem sic convertit: *Noli timere, fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, &c.* Quia vero concilium Tridentinum Sess. IV. *statuit & declarat, ut hæc ipsa vetus & vulgata editio - - in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus, pro authentica habeatur; & ut nemo illam reiicere quovis pretextu audeat & præsumat*: ideo vel sola huius versionis auctoritas contra Pontificios valere debet, ne ex his Pauli verbis colligant, Christum fuisse mendicum, aut mendicabunda prece stipem rogasse, & cibo precario victitasse; cum aliud nos doceat historia Evangelica. Iam dudum Christum eiusque discipulos similiter calumniatus erat CELSVS Epicureus: cui autem pro merito respondit ORIGENES L. I. contra Celsum p. 51. edit. Cantabrig. 1658.

cipere & amittere; simul tamen etiam toti *personæ* Christi per & propter
 eandem unionem personalem tribuenda; idque Apostolus indicat dicendo,
 non humanam solum naturam aut carnem Christi, sed *Christum* exinanitum
 esse. Quoniam vero humana natura Divinas habuit divitias communicative,
 ex personali cum Divina natura unione; hæc autem unio in ipsa eius exina-
 nitione soluta non est, nec solvi potuit, cum ad opus redemptionis efficien-
 dum necessaria, atque hanc ipsam ob causam facta esset: sequitur neque
 communicationem harum divitiarum ex unione personali fluentem potuisse
 in exinanitione cessare; sed Christum in hac sua exinanitione etiam qua hu-
 manam naturam (videlicet communicative) habuisse & *possedisse* divinas di-
 vitias; id quod docuit quoque Apostolus, cum exinanitioni factæ addidit
 verbum *πλάσιον ὢν* in præsentī, *exinanivit se dives existens* & manens. Idem
 vero etiam testatur filii hominis *καρδιογνωσία* in exinanitione interdum usur-
 pata, aliique divitiarum Divinarum effectus plures; quoniam enim necessa-
 rium erat, ut filius hominis in exinanitione sua per *miracula*, tanquam per
 opera vere Divina demonstraret, se esse promissum Messiam & filium DEI;
 eamque ob causam etiam tot ac tanta edidit miracula: patet eum non solum
possedisse Divinas divitias, sed illis etiam *usum esse*, quoties tempus & necessitas
 flagitabant; quoad scilicet opus redemptionis consummandum non impediabatur.
 Proinde humana Christi natura non *possessione* communicatarum sibi divitia-
 rum, sed earundem solum *usu*, neque usu *omnimodo*, sed tantum *pleno* ac
 integro privata & exinanita est. Atque sic verborum Pauli hic planus &
 perspicuus sensus est: Cognoscitis, inquit, gratiam Domini nostri IESU
 Christi, qui dives existens qua DEUS & DEI filius, dives etiam qua filius
 hominis, communicatas sibi per utriusque naturæ unionem Divinas possi-
 dens divitias, propter vos pauper fuit, & pleno harum divitiarum usu se sua
 sponte exinanivit.

Quis vero crederet, Apostolum his verbis docuisse, animam Christi
 tanquam intelligentiam puram a DEO creatam in cælo ante extitisse, quam
 corpus ex Maria virgine assumeret? & tamen illud anno superiori anonymus
 quidam peculiari libello (h) usque adeo asserere ausus est, ut inter illa Scri-
 pturæ dicta, quæ huic suæ opinioni ansam dedisse p. 4. seq. causatur, hæc
 D. PAULI verba velut argumentum quoddam palmarium primo posuerit loco.

Inter-

(h) Qui inscribitur *Dissertation Theologique & Critique, dans laquelle
 on tâche de prouver, par divers passages des Saintes Ecritures, que l'ame
 de IESUS Christ étoit dans le Ciel une Intelligence pure & glorieuse, avant
 que d'être unie à un corps humain dans le sein de la Bienheureuse Vierge
 Marie. A Londres, MDCCXXXIX, in 8.*

Interpretum, quos consuluit, tres statuit classes: in primam retulit *Erasmum Bezam, Drusum, Vorstium, Hammondum, Clericum, Calmetum, Beausobre & l'Enfant*, aliosque plures, quos difficultate (ut putat) rei motos, verba Apostoli nimis generali & vago sermonis genere exposuisse, neque tempus, quo Christus dives fuit, antequam pauper factus est, neque naturam, quæ istas possedit divitias, attendisse queritur. In altera p. 9. seq. collocavit *Chrysostomum, S. Ambrosium* (rectius *Ambrosiastrum*) *Pictetum*, cet. qui divitias Divinæ Christi naturæ intelligi voluerunt: id quod ipsi non placet p. 13. quoniam de eadem natura, cui tribuuntur divitiæ, simul prædicatur illam pauperem factam esse; iam vero Divina natura infinite perfecta & immutabilis est, quæ nihil sibi acquirere, nihil amittere potest Psal CII, 28. proinde de illa h. l. sermo esse nequit. In tertia denique classe constituit p. 10. sqq. *Grotium* cum Sociniano *Przypcovio*, qui divitias Christi de vi omnis generis miracula patrandi, qua licet res cunctas in manibus haberet, nostri tamen gratia pauper factus est, exposuerunt: Sed hac, inquit, potestate Christus usus est etiam in profundissima sua exinanitione; & sic sequeretur, illum eodem tempore & divitem & pauperem fuisse; id quod D. Pauli verbis contrarium esse sibi falso persuasit. Si nostrates consulisset Theologos, debuisset quartam omnino classem addere, & ad eorum interpretationem infringendam longe alias comminisci exceptiones.

Inde pergit p. 12. lectori imponere narrando, se hisce explicationibus in diversa abeuntibus, quæ insuper vel non sufficientes, vel nullo nixæ erant fundamento, permotum esse, ut hæc tanti momenti verba longe accuratius examinaret. Primum igitur tempus determinat, quo Christus cœpit esse pauper, idque in ipsa eius nativitate ponendum esse affirmat. Deinde sic argumentatur: Si status paupertatis Christi ab ipsa nativitate & una cum vita eius in hac terra cœpit, divitem ante fuisse oportet, quam lucem huius mundi aspiceret; id vero certe vel de Divina natura, vel de anima eius intelligendum esse; aut non de Divina natura, quippe immutabili, quæ ulla

- (i) Multa hic de Nestorio eiusque controversia, num Maria dicenda esset Θεοτόκος, admiscuit, quæ nunc examinare vetamus: illud tantum momentes, phrasæ istas, *DEus natus est, DEus mortuus est*, quas p. 16, 17. fatis acriter impugnat, nihil aliud esse, quam ipsas propositiones personales, toties a nostratibus vindicatas, quin etiam ab ipso Spiritu S. usurpatas, e. g. Act. XX, 28. *DEus suo proprio sanguine acquisivit ecclesiam*. Ioh. I, 14. *Verbum* (sive *DEus* ψ. 1.) *caro factum est, i. e. homo factus est*. Quis igitur auderet cum auctore p. 22. affirmare, propositionem hanc, *Verbum natum est*, non nisi abusive dici posse?

sua perfectione exinaniri plane non potuit p. 13. sqq. (i) & p. 27. Ergo de anima Christi, & illa quidem velut intelligentia sancta, præexistente in cælo, eaque cuncta possidente, quæ illam beatam reddere poterant; creata tamen, ideoque mutabili, cui proinde neque decessio, neque accessio gloriæ repugnabat.

Facile præagiebat auctori animus, hoc argumentum, quod caput rei totiusque demonstrationis est, a receptæ per tot secula sententiæ defensoribus sibi neutiquam concedi; istius igitur consequentiam p. 28. hoc modo probare conatur: Si humana Christi natura non aliqua ratione antea possedisset divitias, quibus sua se sponte privavit; sequeretur neque recte dictum esse ab Apostolo, humanam naturam divitem fuisse, priusquam pauper facta est; neque his illam divitiis se nostri causa privasse. Et p. 29. Si neque corpus neque anima Christi ante conceptionem eius extitissent: tum neque verum esset, eum divitem fuisse secundum illam naturam, quæ pauper facta est; quoniam hæc natura nunquam possederat statum feliciorum, quam hunc, in quo fuit in his terris: neque porro vere diceretur, IESUM Christum pauperem factum esse; quia enim nullas unquam divitias possederat, ideo his etiam privari non poterat.

Hæ sunt ratiunculæ, quibus sibi aliisque persuadere vult anonymus, ea se in his verbis Apostoli invenisse, quæ per XVII. secula alius fere nemo (k) Miramur virum alioquin non indoctum, qui hæc maximi momenti verba se longe accuratius examinaturum esse professus est, voces *πλάσι ὧν* sæpius vertisse, cum esset dives; cum tamen Apostolus non scripserit *πλάσι ἧν*, sed *ὧν*, dives existens: quod si attendisset, forsitan divitiarum possessionem ab usu earundem, nec non usum omnimodum semperque exercitum, ab usu interdum ac rarius adhibito, distinguere didicisset; huius enim neglecti discriminis non pauca occurrunt in eius tractatione vestigia, & inde ortæ confusiones ac contradictiones.

Sed magis miramur, auctori, qui tot scriptores in hoc libello citavit; ex innumeris fere nostratium compendiis & systematibus nullum plane inventuisse, quorum vel unicum eum docere potuisset, consequentiam supra formatam neutiquam esse necessariam, cum præter modos ab ipso propositos, detur omnino tertius, isque S. Scripturæ optime conveniens. Ipse enim p. 3. & alias sæpius fatetur, Divinam τῆ λόγῃ naturam infinitam & immutabilem,

B

bilem,

(k) Neque tamen primus est auctor, qui ex hoc Pauli loco animæ Christi præexistentiam monstrare contendit: cum idem ante eum fecerit EDV. FOVLERS, Claudiocæstriensis in Anglia Episcopus, cui noster & cetera Scripturæ dicta in hoc libello allata fere cuncta debet. Vid. IO. MARCKII Sylloge Dissert. ad selectos textus N. T. Exercit. XIV. p. 400. sq.

bilem, quæ nihil plane amittere poterat, unitam esse humanæ Christi naturæ. Atqui Divina Filii natura suam propriam habuit hypostasim, distinctam ab hypostasi Patris velut eius ὑποστάσεως χαρακτήρα Heb. 1, 3. E. neque hanc suam hypostasim in incarnatione amittere potuit. Ast unus tantum est Christus, unus mediator, non duo: ideoque una modo persona. Proinde cum Verbum caro factum est; Divina autem natura suam hypostasim amittere non poterat: necesse erat ut Filius DEI humanam naturam, in primo existentiae eius momento & simulac producebatur, in suam assumeret hypostasim & cum Divina sua natura arctissime uniret. Actum unionis immediate secuta est naturarum communicatio & communio tot propositionibus personalibus in S. codice confirmata; & quoniam proprietates a natura, cuius sunt proprietates, separari nequeunt; sequitur communicatis naturis, proprietates simul esse communicatas; idque Scripturæ confirmant testimonia supra allata.

Sic igitur dives in primo existentiae momento facta humana Christi natura omnino possidebat divitias, tum antea, quam pauper facta est, tum in ipso quoque exinanitionis statu: sed simul pauper fuit, quia pleno & perfecto earum usu se abstinuit, dum opus redemptionis nostræ perficeretur. Et quoniam anonymi opinio de præexistentia animæ Christi & hac innixa dicti Paulini interpretatio ex eo orta est, quod aliter non potuerit explicare, quomodo humana Christi natura ante exinanitionem suam dives fuerit; illud vero iam Scripturæ convenienter explicatum est: patet nihil ei reliquum esse, quo istam suam interpretationem defendat. Idem de loco parallelo Phil. 11, 6. 7. 8. notandum, quem p. 38 -- 65. haud dissimili ratione, multis admittis paradoxis, exponere conatus est.

Adhæc auctor ipse affirmavit p. 4. opinionem doctorum Hebræorum de humanarum præexistentia animarum, quas in mundi initio cunctas creatas esse putarunt, haud difficulter posse refutari; ac per hoc se ab ista opinione aversum esse declaravit; & tamen integrum libellum ideo conscripsit, ut sibi aliisque persuaderet, animam Servatoris, velut intelligentiam puram, sanctam, beatam &c. in cælo olim præextitisse: E. hoc suo labore vix aliud egit, quam ut humano generi persuaderet, Christum non fuisse verum hominem; quippe qui corpus quidem humanum assumerit, non vero animam humanam, partem nobilissimam, qua ab animalibus brutis distinguimur (1). Non iam expli-

(1) Eodem olim modo contra *Apollinarem* recte argumentatus GREGORIUS Nazianzenus Orat. Ll. Opp. To. I. p. 740. seq. *Divinitas, inquit, cum sola carne homo non est, imo nec cum sola anima, nec cum utraque, si mens absit, quæ etiam magis homo censei debet. Retine igitur totum hominem, ac Divinitatem adiunge, ut me plene ac perfecte beneficio adficias.* Etenim Apollinaris initio dixerat, hominem absque anima a DEO

explicabimus, quantum hæc opinio detrimenti afferat, præsertim doctrinæ de satisfactione Christi pro nobis, eiusque meriti imputatione: at vel nobis tacentibus patet, quam facilis sit sub huius obtentu opinionis ad castra *Arianorum* transitus; a quibus licet alienum se profiteatur auctor, vix tamen negare poterit, eundem se defendere errorem, cuius ORIGENES olim damnatus est (m) Porro anima Christi ab ipso definitur, quod sit intelligentia sancta, creata, in cælo præexistens, & beata; sed angeli sunt intelligentiæ sanctæ, creatæ, in cælo præexistentes & beatæ: E. (secundum notissimam regulam, cui competit definitio, ei etiam competit definitum) anima Christi erit intelligentia quædam ex ordine angelorum, sive angelus creatus, a ceteris non nisi gradu quodam perfectionum & gratiæ Divinæ sibi speciatim tributæ diversus; ac proinde in Christo non duæ, sed tres naturæ statuendæ, Divina, angelorum & humana? Contrarium docuit D. Paulus verbis apertissimis Hebr 11, 16. *Non enim, inquit, profecto Angelos assumpsit, sed semen*

DEO Verbo assumptum esse: postea adiecit, animam quidem assumptam esse, sed quæ mentem non haberet; DEum autem Verbum mentis loco esse in homine assumpto; teste SOCRATE L. II. c. XLVI.

(m) ORIGENEM eandem fere de animæ Christi præexistentia olim fovisse opinionem, varia ostendunt loca ab HVETIO in Origenianis p. 51. §. VI. prolata. Quorum licet aliqua RICH. SIMON Hist. Crit. Commentar. N. F. c. III. p. 41. existimet posse sic mitigari, ut si Origenes forsitan modo indicare voluerit, Christum patribus V. T. sæpius assumpta humana forma apparuisse: alia tamen clariora sunt, e. g. Comment. in Ioh. p. 307. C. edit. Paris. 1679. *Fortasse, inquit, Iesu anima in sua ipsius perfectione existens, in DEO, & in plenitudine erat; & inde egressa, quia missa fuerat a Patre, assumpsit corpus ex Maria, cet.* Sentiebat Origenes cum Iudæis & Platoniciis, animas humanas longe ante corpora a DEO creatas esse; ideoque illum etiam præexistentiam animæ Christi credidisse non miramur: ast anonymus prius affirmare noluit, soli animæ Christi vendicans præexistentiam. Damnata vero hæc opinio (quam ipse Origenes, dum usus est voce *τάχα* forsitan, pro certa venditare noluit) ab ATHANASIO in Epistola ad Epictetum, Opp. To I. p. 588 B. eique ab ecclesia græca pariter ac latina anathema dictum est: *Si quis dicit aut sentit, animam Domini præexistere, unitamque esse DEO Verbo ante incarnationem & nativitatem ex virgine, anathema sit.* Vid. IVSTINIANI Imp. Epist. ad Mennam Cpolit. adversus Origenem directa, anathematismo 2. Inde Græcis adeo invisa fuit, ut cum Origenes eandem quoque in supra dictis commentariis p. 35. D. proposuisset, testis sit RICH. SIMON l. c. in codice Msc. Regio Paris. e regione huius loci in margine adscriptum legi: *βλασφημῆς*.

men Abrabe assumfit. Cetera mittimus, quæ huic opinioni a Viris doctis iam pridem opposita esse novimus (n).

Denique finem addit Apostolus, cuius gratia Dominus noster pauper factus est: ΔΙ ΤΜΑΣ, inquit, ἐπιώχουσε, ut vos eius paupertate ditaremini; hic vero vestra utique Cives, meditatione per hos dies ac per totam vitam dignissimus est, quippe ad quem cetera referri oportet cuncta. Nostis non contentos fuisse homines, sed abusos divitiis sibi a DEO concessis præstantissimis, usque adeo, ut relicto DEO creatore O. M. ipsos Divinæ scientiæ, aliarumque perfectionum thesauros captarent. Sic qui ante divites erant, amissa, scientia, sapientia, sanctitate, iustitia, iure ac dominio in res creatas, & vita denique ipsa, facti sunt pauperrimi. Sed ipse DEUS ac DEI filius humani generis misertus, humanam assumfit naturam, illamque sibi arctissime unitam summopere ditavit; eandem vero etiam sic ditatam exinanivit, & ab usu Divinarum divitiarum se abstinuit: quo poenas abusui debitas voluntaria paupertate lueret, & amissas divitias hominibus recuperaret.

Quæ humano generi Christus præstitit, ea Vobis quoque præstita esse beneficia maxima non ignoratis: Christus igitur propter Vos etiam pauper factus est, ut per illius paupertatem Vos ditaremini. Propter Vos exinanivit se Dominus thesauris omniscientiæ & omniscientiæ, dum iisdem neque ad afflictam conditionem suam meliorem faciendam, neque ad ignominiosissimam mortem vitandam usus est; sanctitate & iustitia, dum inter maleficos se numerari patiebatur; usu iuris ac domini in res creatas, dum adeo in his terris pauper fuit, ut neque propriam haberet adiculam, in qua nasceretur, neque dum viveret, ubi caput reclinarer Matth. VIII. 20. neque suum, in quo corpus conderetur, sepulcrum; & ipsa tandem vita: ut Vos per hanc eius egestatem scientia rerum cœlestium, sapientia superne veniente & ad veram felicitatem ducente, sanctitate, iustitia, iure ac dominio in res creatas, denique vita spiritali ac æterna ditaremini. Bene enim CHRYSOSTOMVS ad hæc verba, & rectius omnino, quam recentiores quidam interpretes: *Divitias, inquit, hoc loco appellat pietatis cognitionem, peccatorum purgationem, iustitiam, sanctificationem, ac mille alia bona, quæ nobis largitus est, ac largietur.* Proinde, Cives carissimi, has tanto labore, immo sanguine Domini partas divitias diligentissime perpendite: ut simul, quanta fuerit eius erga vos GRATIA *σώτηρις*, & quam illi gratiam vos vicissim debeatis maximam & fidelissimam, recte cognoscatis. Quia vero parum Vobis expediret scire divitias partas ac paratas, nisi iisdem quoque potiremini: ideo simul circumspicite animo, quo modo ac ordine ad illas certo perveniatis, iisdemque semper fruamini. Ipse Dominus vester IESUS Christus ordinem pœnitentiæ atque fidei instituit: proinde unumquemque falli necesse est, & istis carere divitiis, qui in hunc se ordinem redigi non sinit. Agite igitur, dum Christus Vestri causa pauper factus est, & tantas Vobis acquisivit divitias; agnoscite hanc gratiam, servate ordinem ab ipso institutum, confitemini summam Vestram paupertatem spirituales, & ad Dominum supplices accedite: tum re ipsa experiemini, quanta hæc eius gratia fuerit.

(n) Vid. IO. MARCKIVS in supra citata Sylloge Dissert. ubi recentiores huius opinionis, de præexistentia animæ Christi, in Anglia & Belgio defensores refutavit; acc non ZACH. GRAPPI Theol. rec. contror. T. p. 3. 199.

Dan. Salthenius, D.

52 K 6

1378

